

Latein

1. Oktober 2009, 8:00 Uhr

Nuntii Latini mensis Septembris 2009

Recitator: Heinrich Fliedner

O quae mutatio rerum

Civibus Germaniae suffragia ferentibus coalitio Democratarum Christianorum et Socialium non satis placuit. Angela Merkel autem moderari rem publicam perget cancellaria coalitione cum Liberalibus inita. Factioni Democratarum Socialium, cui peius quam umquam evenit, partes adversae suscipiendae erunt.

Barroso praesidens iterum

José Manuel Barroso Lusitanus Commissioni Europaeae praeesse pergit. In urbe Argentorato Parlamentarii Europae eum, qui in numero conservatorum habetur, iterum ad hoc munus elegerunt. Prasinis autem et Sinistris id minime placuit, cum Democratae Sociales suffragio se abstinerent.

Lusitanus - Portugiese – Portuguese
Argentoratum - Straßburg

Opel societas veniit

Postquam per multos menses de condicionibus emptionis actum est, GM societas autocinetorum Americana Europaeam societatem Opel filialem vendidit. Quattuor eius fabricae in Germania sitae viginti quinque milibus operariorum victum praebent. Societate vendita evitatum est, ne solvendi copia deficeret.

Navigationis triumphus

Primae omnium navium onerariarum Germaniae "Beluga Fraternity" contigit, ut cursu aquilonali percurreret freta Sibirica. Cuius navis dominus est Niels Stolberg Bremensis. Eo cursu ab Europa pervenitur in Asiam orientalem itinere quinque milibus chiliometris brevioris quam illo usitatissimo, quod fert per Euripum Suesiensem.

Euripus - Kanal - Canal

Impetus mortifer

Duo adulescentes in Bavaria quinquagenarium verberantes pedibusque percutientes necaverunt. Is conatus erat pueros tegere, quibus illi institerunt. Quo casu per Germaniam hominum animi perculsi sunt. Ei viro pio pro fortitudine insigne meritorum adjudicari placuit.

Germanae campiones Europae

Manus pedifollica feminarum Germaniae denuo campionatum Europae adeptae est. Helsinki in urbe manum Britanniae in certamine finali devicerunt; nam sexies follem in portam adversariarum intulerunt, id quod lustricibus Britanniae bis solum contigit. Duobus annis ante feminae Germaniae iam campionatum mundanum adeptae erant.

Hubble reffectum

Hubble telescopium spatiale nuper reffectum multo melius quam umquam operatur. Id administratio Americana spatialis NASA declaravit probavitque photographematibus, in quibus arcus lucens, qui antehac cognosci minime potuit, distincte elucet. Qui arcus effectus est lumine galaxiae cuiusdam distantissimae, quod cumulo galaxiarum diffractum est. Speratur hoc instrumentum quinquennium, fortasse etiam decennium, prospectum in partes extremas mundi praebiturum.

Opus singulare inventum

In colonia Romanorum, quae non longe a Waldgirmes oppidulo in Hassia sito effossa est, equi caput in puteo quodam inventum est. Hoc caput aeneum, quod pars statuae equestris Romanae erat, habetur in numero operum politissima arte perfectorum, quae in finibus imperii Romani inventa sunt. Quod intra duo annos proximos reffectum iri dicitur.

Urbs deserta in desertis Syriae

Olim regnum Qatnae erat inter potentissima imperia Syriae. Archaeologi Germani caput regni obrutum effodientes reliquias regiae reppererunt. Cuius e ruinis sepulcra et thesauros in lucem protulerunt. Quae ibi invenerunt, Stutgardiae in museo exhibebuntur.

Notabilia: Autumnus Carnuntinus

Carnunti in horto archaeologico ad vicum Austriacum Petronell sito die vicesimo sexto mensis Octobris (a.d.VII.Kal.Nov.) celebrabitur festum Autumnus Carnuntinus vocatum. Et in domo venditoris textilium et in villa urbana omnia parata erunt ad spectatores recipiendos, in culinis fient panes, hypocaustis aedificia calefient, ne quis frigore a visendo deterreatur. Praeterea locus ille visi potest, ubi thermae reaedificantur methodis antiquis adhibitis. In Museum Carnuntinum non ita procul situm expositio de imperatoribus et civibus spectatu digna invitat.

Plura in interrete sub:

Plura in interrete sub:

[Homepage Archäologischer Park Carnuntum](#) ➞

Notabilia: Ben Hur loquitur Latine

Clarissima illa et fabulosa narratio, quae a Lewis Wallace Americano de vita principis Iudaei Ben Hur ficta est, in maximis totius mundi arenis praebetur. In eo apparatusissimo spectaculo gladiatores pugnant, fit proelium navale, illud clarissimum curriculum quinque quadrigarum editur. Hic ludus, in quo histriones Latine vel Aramaice loquuntur, certe aptus est ad spectatorum animos commovendos.

Iter mundanum gregis histrionum animaliumque Londinii et Hamburgi coeptum continuabitur Stutgardiae (19.-21.10.), Monachii (30.-31.10.), Turici (13.-14.11.), Gelsenkirchen (27.-28.11.), Vindobonae (5.-6.12.2009).

Plura in interrete sub:

Weitere Informationen:

[Nuntii Latini mensis Septembris 2009, \[5:28\]](#) 🔊

[Lateinnachrichten September 2009](#) ➞

Deutsche Version

Kinder-Nachrichten

Auctores

Gy 7 der Johann-Gutenberg-Schule in Bremerhaven

Frank Schirmer

Hannelore Zöllner

Senex tela misit in puerum



Lena Krosch

Ante diem tertium decimum Kalendas Octobres in Klosterfelde vico in Brandenburgico sito senex septuaginta sex annos natus in puerum duodecim annos natum tela misit et in lacerto vulneravit. Puer transportatus est in valetudinarium. Senex in custodiam ductus est. Quem liberos odisse apparuit.

Recitatric: Lena Krosch

[Senex tela misit in puerum, \[0:28\]](#) 🔊

Quelle: <http://www.radiobremen.de/nachrichten/latein/latein/nuntiiatini102.html>